

1181

## DOGMATICI.

1182

## Codex.

*secundum Augustinum de fide ad petrum circa medium ubi dicit de malis angelis, quod permanente in eis malo culpe et iniuste aversionis a deo sequitur iuste retributionis dampnatio perpetua. et sequitur ibidem de bonis angelis. Sicut, inquit, bonos angelos in eternitate sui beatitudine firmavit. Ad quam nos perducatur, qui sine fine vivit et regnat. Amen.*

Ceterum neuter putatitium Augustinum rite citavit. Vide edit. Maur. T. VI. Append. col. 25. n. 33.

## CCCCXCIV.

R. 481

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 148. f. per duas columnas multis vocum compendiis non una manu exaratus, rubroque distinctus exhibet I. *Joh. Duns sive Scoti O. M. Doctoris avrovopaxinos Subtilis* jam alias relatum *Scriptum in Librum IV. Sententiarum*, quod incipit: *Samaritanus ille piissimus &c.* in hoc tamen Exemplo non plane terminatum est.

II. huic succedit fol. 105. Institutio bipertita de Confessione peccatorum audienda, quae ad calcem *Confessionale* dicitur. Init vero: *Simpliciores et minus expertos confessores de modo audiendi confessiones informare cupiens &c.* Parte priore agit de variis Peccatorum speciebus, posteriore de variis Hominum conditionibus. De Autore, quod dicam, non habeo, nisi, nec Antoninum Flo-

Denis Codd. Theol. V. II. P. II.

## Editio.

*Hoc patet de fide ad petrum circa medium, et ideo poena durat, quia peccatum in eis durat. Unde dicit: Permanente in eis injustae affectionis malo, permanet in eis justae retributionis damnatio, a qua nos custodire dignetur, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.*

rent. nec Barth. de Chaymis, nec Ant. de Butrio, nec Andr. de Escobar, sive Hispanum esse. Quo tempore scripserit, inde colligitur, quod in Praeloquio ad Summam F. Raimundi, nempe de Penafort et Summam Confessorum, quae Johannis Friburg. est, provocat, quorum hic a. 1314. excessit.

III. fol. 116. Informatio Rudium de paupertate Christi et Apostolorum. Ita ingreditur: *De paupertate christi et apostolorum eius quid secundum veritatem euangelicam sit tenendum, quamvis per doctissimos sacre theologie magistros acutissime et copiosissime sit tractatum, ac per sedem apostolicam perpetua constitutione firmatum, novorum tamen hereticorum contentiosa protervia, quos amor excellentie proprie non ad veritatis agnitionem, sed ad sue singularitatis defensionem instigat, adhuc non desinit suscitare in angulis et priuate, quod iam metuit publice predicare. Dogmatizando videlicet Christum et eius apostolos, dum in presenti*

senti uita fuerunt, non habuisse aliquid in proprio, nec etiam in communi. Norunt Eruditi, Errorem hunc sub exitum Sec. XIII. in Ordine Minorum turbas dedisse indiscreto quorundam altissimae Perfectionis studio, quos inter Petrus Job. Olivi, et Hubertinus de Casali eminebant, ut legere est tam in Odor. Raynaldi Annal. Eccl. T. XV. quam in Waddingi Annal. O. M. T. II. fuisse vero in ipso Minorum Ordine, qui contra irent, ut vel e Documentis liquet, quae Baluzius L. I. Miscellaneor. pp. 195 — 528. exhibet. At vero Autorem nostrum et turbis jam utcumque sopitis calamum strinxisse superius Adlata docent, et Ordinis Membrum non fuisse suadet modus, quo per decursum de Ordine tanquam non suo loquitur; ait enim v. g. Ordo itaque siue Collegium fratrum minorum aut indiget rebus eis donatis propter deum et oblatas, aut non. Si indiget, sicut non potest uitare siue abdicare ipsam indigentiam et necessitatem, quam patitur, que est ratio utendi, ita non potest renunciare siue abdicare ius et potestatem utendi bonis predictis. Si uero non indiget, tunc cum non competat eis ius utendi predictis bonis eo, quod ius tale nil est aliud nisi indigentia ipsa et necessitas, ut supra dictum est, si tali iuri collegium siue ordo fratrum minorum renunciauit in communi, renunciauit utique iuri, quod non habet, seu quod non competit sibi in bonis predictis. Et ideo propter talem abdicatio-

nem seu renunciationem, que nulla est, ordo ipse siue collegium eorum non potest dici pauperior alijs ordinibus, seu collegijs quorumcunque religiosorum. Solide, ut totus Dialogus; colloquitur enim Autor cum quodam Fratre F. ad quod Nomen manu coeua notatur in margine: Sciendum quod per F. quidam frater philippus nomine intelligitur istius heresis defensor precipuus, et per P. quidam ordinis predicatorum, qui contra dictum philippum et suos hunc tractatum edidit. Sed Philippum hunc nec Waddingus, nec Fabricius nobis produunt.

IV. fol. 124. usque ad finem Codicis habentur 1) Commentaria imperfecta in Librum IV. Sententiar. 2) Quaestio: Vtrum ratione naturali possit demonstrari, quod beatitudo intellectus humani sit clara visio Dei? 3) Aliae II. Quaestiones de Anima, quarum prior ἀνεφαλος, altera: An anima separata possit acquirere cognitionem alicuius prius ignoti? 4) Tabula quarti libri Scoti doctoris subtilis; quae proinde ad Codicis pertinet principium.

CCCCXCV. Codex membranaceus lat. Sec. U. 300 XIII. exeunt. Folior. 232. f. per duas columnas caractere nitido, atro perscriptus, rubricis enotatus, quondam, ut praefert Theca, M. Petri de Pulka, dein a M. Thoma de Haselbach Collegio Ducali Wiennae legatus continet D. Thomae Aqu. Commentaria, five